

Usus inspergendo : Hæmorrhagia; hæmor-
rhois; ulceræ; intertrigo.

M O X A.

In oriente paratur ex foliis Artemisiæ vulga-
ris probe in umbra siccatis, quæ dein contusa
manibus tamdiu persfricantur, donec species
lanæ formetur, quæ addito pauxillo moschi,
aut aliis substanciæ odoriferae in conos ef-
formatur. In Europa hodie ut plurimum ex
gossypio conficitur, quod solutioni nitratis
potassæ saturatæ immersum, dein exsiccatum
in cylindros quatuor pollicum longos et unius
pollicis diametri formatur. Cylinder talis in
tubum ex charta crassiori confectum immit-
titur, et parti affectæ applicatus accenditur,
et durante combustione sic facile digitis
applicata tenetur. Postquam gossypium ad
ultimam portionem usque consumptum fue-
rit, pars usta unguento digestivo tegitur.

Usus in omnibus morbis ubi ferrum candens
seu cauterisatio utilis inventa fuit, præ-

cipue in doloribus fixis chronicis violentis rheumaticis aliisve variarum corporis partium.—Nuper etiam cum successu in aphonya nervo recurrenti in collo moxam applicavit DUBOIS.

FINIS PRIMÆ SECTIONIS.